

1034
DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
17

DE

MORBI HYSTERICI VERA INDOLE SEDE ORIGINE ET CVRA

Oder :

Bon der wahren Beschaffenheit und Ursprung
der Mutter-Beschwerungen.

QVAM
CONSENSV

AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

ACADEMIÆ SENIORE ET FACVLT. MED.

h. t. DECANO.

PARENTE DEVOTE HONORANDO

PRO DOCTORIS GRADV

PVBLICÆ ERVDITORVN DISQVISITIONI

SVMITTIT

D. Mensis Julii anni MDCCXXXIII.

AVCTOR

FRIDERICVS HOFFMANNVS,

HALLENSIS SAXO.

HALÆ MAGDEBURGICÆ

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.



MORBI HYSTERICI
ULTRA INDOLERE SEDE
ORIGINIS ET CARY

DN RIBERIC HOMINUM
AGREDIMUS SUNDICAT ET FACIAT MAM
ERGODOCTORI GRADA

URIBERI M. DOCTORI



DISSESSATIO IN AUVGRALIS MEDICA
DE
MALI HYSTERICI VERA INDOLE, SEDE,
ORIGINE ET CVRA

§. I.



Vum, Deo auspice, constitutum mihi sit, genuinam sœvi istius morbi, qui subinde graviter feminas cruciare solet, & affectionis hysterice nomine insignitur, indolem, sedem, originem & curam in hac sollemni dissertatione paullo accuratus explanare; maxime omnium vero, quemadmodum ab aliis chronicis passionibus, in primis ab hypochondriaca, cum qua nostro tempore perperam commiscetur & confunditur, differat & jure meritoque distingui debeat, paullo clarius exponere: non incongruum, sed scopo nostro feliciter obtinendo valde appositum vi sum est, primo omnium veram & plenam hujus morbi

bi historiam præmittere, ut ex hac postea, ceu genuina omnis veræ Theoriæ & Praxeos Medicæ basi ac fundamento, recta raciocinia & claras demonstrationes, in inquirendis nostri affectus caussis & symptomatum rationibus eruendis & quod caput rei est, idonea tum ad præcautionem tum ad sanationem, remedia petere & depromere possimus.

§. II.

Placet vero primo omnium, quid antiquissimi medicorum, quibus historia hujus affectus non incognita fuit, de ea monumentis suis memorie prodiderint, in medium proferre. Prodeat primum HIPPOCRATES, qui, ut mulierum morbos optime & diligentissime in his voluminibus descriptis, ita in primo de affectu hysterico hæc tradita reliquit: *Quum uterus ad stomachum, qui nervosus est, allapsus fuerit, dolet spina & totum dorsum & linguae refrænatur, & animi adeo deliquium, aliquibus etiam vocis privatio, & stomachus mordetur, & flava bilis exit, spiratio difficultas, mulier est anxia, & jactat se, & ardet.* Relicto HIPPOCRATE dispiciemus, quænam in historia morborum recensenda diligentissimus auctor ARETÆVS de diæto morbo memoria tradiderit. Hic lib. II. c. XI. conceptis verbis perhibet: *Si valva repente superiora petit ac diutius ibi commoratur, femina, veluti co-mitiali morbo correpta, citra nervorum distensiones strangulatur, angustiis septum transversum, pulmones, cor celeriter opprimuntur, spiritus quoque privatio imbecillitasque adesse videntur, capitis quoque gravitates & sensuum abolitio cum quoddam sopore obveniunt.* Quod si præter ea, quæ jam attulimus, probatissimorum superioris seculi medicorum, ut FERNELII, DURETI, MONTANI, BALLONII, HOLLELLI, MERCVRIALIS, JOANNIS HEVRNII scripta con-

consulimus, in eo ad unum omnes convenire videntur, quod faucium strangulatio, intercepta ad suffocationem usque respiratio, vocis privatio, animi deliquium, sensuum ac motuum abolitio, sopor profundus, vera, propria, & essentialia hujus morbi uterini signa & symptomata habenda sint. Ceterum in eo etiam plures concordes sunt, quod, ante invasionem, motus globi cuiusdam e sede inferiore ad superiora adscendentis sentiatur; unde etiam figmentum multis mulierculis familiare, nascitur, quasi uterus versus superiora feratur. Verum hic loci monendum duco, quod haec recensita symptomata non semper coniunctim, neque eodem gradu in omnibus, ad sint.

§. III.

Quamvis vero non negandum sit, quæ comitantur hunc morbum, e præcipuis esse, jam dicta symptomata: attamen plura adhuc sunt, quæ ad completam hujus affectus, si extremi gradus est, historiam pertinent, hic loci commemoranda. Alia enim sunt, quæ imminentem hunc morbum produnt; alia, quæ jam præsentem indicant; alia rursus, quæ ejus remissionem & solutionem præfagiunt, quæ paulo fusius prosequi minime ab instituto nostro erit alienum. Jam vero & propria, & aliorum peritissimorum medicorum certa experientiae fide edocti sumus, peculiaria ante hujus malii accessionem & in imo ventre, & in pectore, & in capite symptomata observari: nam quod ad caput attinet, frontis, temporum, vel etiam oculorum cum lacrymarum effusione, visus obnubilatione, dolorem pressorum sensuumque & mentis torporem, cum omnium rerum tædio, ut plurimum præcedere, observamus. Deinde, correptæ hoc malo ordinario alcum fortiter adstrictam

A 3 &

& compressam habent, ingentem quoque ad urinam, quæ
clara instar aquæ mingitur, stimulum, neque minus anx-
iam & suppressam spirationem, atque universi corpo-
ris languorem, experiuntur. Hisce postea gravis dolor
lumborum, cum ingenti algore & horrore, succedit,
venter durus & inflatus est, postea umbilicus retrahitur,
adeo, ut fovea, cui includi aliquid potest, relinquatur,
& tunc globum quendam ex inferiore ventre ad hypo-
chondria, ad diaphragma, adscendere, persentient, mox
cor cum tremore incipit palpitate, cum pulsu inæquali
& duro, quandoque intermittente, extrema algescunt,
fauces angustantur, ita ut fune quasi strangulatæ videan-
tur; facies fit pallida, spiratio valde est difficilis, vox perit,
arteriarum pulsationes vix amplius percipiuntur; tanta
vero est ventris stricatura, ut nec vllus flatus transmitti,
nec propter ingentem resistentiam quicquam clysmatis
admitti possit. In quibusdam tanta est mali vehementia,
ut convulsivæ & capitis, & artuum agitationes, cum
vel sine pollicum conclusione, deprehendantur: Aliæ in
profundo, sine ullo sensu & motu, sopore jacent; qui-
busdam facies cum collo a sanguine est inflammata, ru-
bicunda, arteriæ fortiter pulsant. Aliæ in ritus immo-
dicos solvuntur, & restituta voce delira loquuntur.
Quandocunque vero paroxysmus remittit, & mitescere
incipit, quod certa fit sœpius temporis periodo, tum
pullus, qui antea valde debilis, languidus & abscon-
ditus erat, vegetior, plenior, mollior & erectior reddi-
tur, in partes extremas redit calor, facies contracta &
pallida fit explicatior & rubicundior, & eructationum
per superiora impetus auditur, borborygmi & murmura
in ventre oriuntur, & tandem e profundo quasi somno
evigilantes, vocem, sensum, & motum recipiunt, de do-
lore

lore autem capitinis gravativo, totius corporis & femorum ac pedum languore & gravitate conqueruntur: Mirum certe videri potest, quod saepe tam brevi tempore ejusmodi perniciosa atque praesentem interitum minitantia symptomata cessent & intermittant, adeo, ut, quae pridie morituræ videbantur, nunc sanitate integra frui censeantur. Non raro etiam accidit, ut symptomatibus perseverantibus pro mortuis habitæ, sepulcro destinantur, immo sepulta fuerint. Denique non hoc prætereundum videtur, quod mors in hysteris insulti epileptico, vel apoplectico contingat. Atque plenior hæc est hujus morbi historica descriptio.

§. IV.

Ex hac sacerdotum symptomatum, quibus id mali genus stipatur, syndrome paullo curatius considerata, clarissime apparere censeo, si ullus alius morbus, certe hunc ipsum summo jure nervosi generis affectum, eumque spasmodico convulsivam universalem nuncupandum esse; utpote cum nulla fere in machina animali nervosa & fibrosa pars sit, quæ non plane effrenatis spasticis strictruris & convulsionibus exagitetur, torqueatur, distrahatur, adeo, ut tota cœconomia motuum, & naturalium & vitalium, inde turbetur & subvertatur. Vehemens ille in regione lumbari, qui in & ante paroxysmum percipitur dolor, cum immanni saepius frigore, neque minus pertinacissima alvi adstrictio cum firmiori sphincteris strictrura, itemque urinæ cum molestissimo stimulo ad eam emittendam retentio, vix aliam quam nervosarum intestini recti, & vesicæ tunicarum constringentem designant. Intolerabilis & molesta illa præcordiorum anxietas & coarctatio cum ægerrima spiratione, fau-

fauciumque strangulatione, quid aliud arguunt, quam thoracis, diaphragmatis, nervorum intercostalium, bronchiorum, laryngis violentum spasmus? Umbilici profundiorem versus interiora retractionem, cum tensione muscularum abdominis, & intestinalium in glomus sursum adscendentem convolutionem a spasmodica strictura proficiunt, palam est. Partium extremarum sub paroxysmo algor, cum sudore frigido, faciei pallor, artuumque horripilatio, rigor, venarum in manibus disparsa, itidem violentioris spasmi soboles sunt. Praeterea effrenis illa & insolens cordis muscularum tremor, neque minus enorriter saepius urgens assumtorum vel ructrum per os, cum inferioris labii celerrima exagitatione expulsio, nil nisi convulsionum in hisce partibus residentium species sunt. Ubi vero extrema mali est exacerbatio, caput, & manus, & brachia, & pedes, involuntarie agitantur & convelluntur. Quum vero sub spasmis & convulsivis agitationibus æquabilis & moderatus sanguinis motus prorsus turbari soleat, adeo, ut a partibus externis & vasis minoribus ad interiora cum impetu massa fluidorum congeratur, subcutaneis vasculis exsanguibus redditis, mirum non est, a nimia sanguinis ad cor congestione motum ejus ad tempus plane tolli, & syncopem insequi: ob vasa pulmonalia nimium sanguine infarcta ægerrimam fieri respirationem; in vasis vero membranarum cerebri, propter nimiam eorum distensionem ab accumulato sanguine, fluidi nervosi secretionem, & in sensoria & organa motoria influxum, suspendi, hincque sensum tam internorum, quam externorum, ad tempus abolitionem sive leviorum apoplexiæ speciem, soporemque profundiores, concitari.

§. V.

§. V.

Postquam copiose integrum morbi hysterici historiam proposuimus, omnibus fere apparentibus symptomatibus, quibus miseræ femellæ excruciarri solent, recentis, ordo jam & instituti nostri ratio exposcit, ut circum spiciamus, quænam hujus gravioris spasmodico convulsivi mali vera sedes & origo sit statuenda. Primo omnium vero in pathologicis hoc perpetuum est, ut probe locum seu sedem causæ morbificæ, unde nempe originem & natales suos ducat, ab ea, ubi vim suam perniciem exserit, distinguamus. Quod itaque attinet ad sedem seu domicilium causæ morbificæ in nostro affectu, in eo omnes veteres consentiunt, quod sit uterus cum annexis suis partibus. Ex recentioribus vero, iis potissimum, qui malum hystericum & hypochondriacum pro uno morbo habent, ut nominatio HIGHMORVS & SYLVIVS, ventriculum, pancreas, mesenterium pro genuina sede accusant. CAROEVVS vero PISO clarissimi nominis Medicus in *selectioribus observationibus* primam & præcipuam hujus mali sedem in cerebro, sive potius principio nervorum, collocavit, eo quod in disiectis hoc morbo defunctis corporibus colluvienti seri viscidioris in cerebro stagnantem deprehenderit. At vero ipsum uterum, cum vasis & annexis partibus, ad horribiles hos spasmos progignendos materiam & somitem abunde præbere, nos fusius infra clarissimis rationibus ex experientia deductis demonstrabimus. Fallitur vero in eo PISO, quod subjectum causæ morbificæ & mortis invicem confuderit. Nam quum ob insultum epilepticum tandem supervenientem hysterice sepe numero moriantur, non mirandum est, in cerebro causam mortis reperiiri.

B

§. VI.

§. VI.

Quod vero sedem ipsius morbi seu potius symptomatum spectat, ubi videlicet exitialem suam vim sive tyrannidem vis morbi exerceat, in ea sumus sententia: ab utero ejusque membranosa & vasculosa substantia spasmorum originem petendam esse, qui postea in nervos vicinos ossis sacri & lumborum se se insinuant, & ob consensum gradatim totam spinalem medullam, membranis neruosis involutam, sanguineis vasis intertextam, occupant, a partibus inferioribus ad superiores sensim sensimque se propagando. Nam si probe spasmorum progressum observamus, deprehendimus maxime in puerperis, quando hoc malo affliguntur, eos in orificio uteri interno, immo in ipsa quoque vagina incipere, quod exinde cognoscitur, dum haec partes frigidæ & aridæ sunt, & drepente lochiorum sive iectorosæ materiæ effluxus fistitur & alvus clauditur quoque; deinceps spasmæ & dolores cum frigore lumbarem regionem petunt, & in abdominis musculos abeuntes umbilici retractionem, cum duritie imi ventris iunctam, efficiunt; postea impetrunt diaphragma & intercostales nervos, ipsumque par vagum, & difficillimam ad suffocationem usque respirationem cum strangulatione faucium efficiunt, ubi postea intercepto sanguinis circulo per cor, ejus palpatione & animi deliquium, & tandem sufflaminato sanguinis motu per cerebrum, sensum & mentis abolitiones subsequuntur. Est enim singularis & plane mirifica uteri cum partibus nervosis vicinis, & cum nervis ossis sacri & lumborum, consensio, & spasmorum mutua communicatio, quæ ex eo luculenter comprobatur, quod multæ fœmellæ, antequam menses prorumpant, ingentem in lumbis spasmum cum refrigeratione extre-

mo-

morum, cum totius corporis languore, cum præcordiorum quoque coarctatione, experiantur. Longe vero magis hic consensus uteri cum nervis ex spinali medulla & osse sacro in parturientibus observatur, quum a vehementiori infants grandioris commotione in utero repente in dorso & lumbis spasmi & dolores exsurgunt, quorum beneficio infans utero excluditur. Quod si vero illi dolorifici & convulsivi spastici motus non ad ima & ad ipsum uterum abeunt, sed ad superiora se convertendo, præcordiale regionem petunt, graviora pathemata hysterica, quæ in animi deliquio, faucium strangulatione, summa spirandi difficultate consistunt, fœminas sub ipso partu vita privare possunt, quale exemplum lectu dignum PECHLINVS Lib. I. obs. XXX. consignavit.

§. VII.

Perspecta sic & ad liquidum satis deducta mali, quod pertractandum suscepimus, hysterici affecta sede, proximum nunc est, ut de veris causis inquirendis solliciti simus. Quod vero negotium ut meliori auspicio & progressu conficiamus, non alienum erit, hoc loco prius dispicere, quænam mulierum naturæ gravi huic morbo sustinendo maxime sint subjectæ & obnoxiae. Nam certa edocti sumus experientia, non omnes cujuscunque ætatis, temperamenti, ac vitæ instituti id malum pati, sed præcipue virgines viro maturas, viduas quoque juniores & fœminas conjugatas, in primis sanguinis & succi plenas, sine prole tamen viventes; neque minus molliter in otio educatas, maxime, si texturæ tenerioris, & animi mobilioris & sensibilioris sint, frequentius & gravius quoque hoc uterino malo divexari. Id quod etiam jam olim antiquissimi Medicorum perspectum

habuerunt. **GALENVS** hysteram passionem præcipue viduis evenire prodidit, maximeque his, quæ quam antea probe purgarentur, parerent, & virorum concubitu gauderent, jam vero iis omnibus priventur. Ex medicis superioris seculi quam optime **FORESTVS** *Lib. XXVIII. obs. 28.* naturas mulierum, quæ ad hunc morbum proclives sunt, ita describit: Quæ mulier est virosa, jam diu continens, aut virgo, sed venerem appetens, corpulenta, multo sanguine prædicta, victu calido, humido & flatulento utitur, in otio vivit, cum veneris irritamentis, vino nempe generoso multisque delicatis ferculis, venerem excitantibus fruitur; talem foeminam, licet menes non sint suppressi, crebrius in hunc morbum incidere, certissimum est. Hanc observationem quoque **BALLONIVS** in *Libro, de virginum morbis*, & **LEVNVS LEMNIVS** in *libro, de occultis naturæ miraculis. e. VI.* confirmant: ubi multas, inquit, viderelicet tam viudas dissuetas veneri, tam virgines nubiles maturasque viro, ubi serius ad connubium expetuntur, animi deilio, atque uteri strangulatione acerbissime infestari.

§. VIII.

Deinceps quoque id sèpius animadvertisimus, foeminas & maxime juvenculas, quæ sensibilioris nervos generis, textura tenuioris, & ad affectus animi faciliores sunt, hoc immanti spasmodico malo, magis cruciari, quam quæ firmioris & robustioris corporis atque animi constantioris sunt. Quam tentiam etiam præclare, optimus Medicina scriptor **ARETÆVS** corroborare videatur, quum libro citato prodidit: *Juvenes foeminae id virtutem patiuntur, seniores vero immunes sunt; quibus enim etas & vita & mens vaga magis & erratica est, his vulva quoque errabunda instabilisque sit necesse est. Quibus vero fir-*

ma

*ma & stabilis & atas & vita & mens fuerit, ita & vulnera simili-
liter afficiuntur.* Quo egregio loco antiquus & doctissi-
mus Autor aperte fatetur, ingentem esse animi inclina-
tionum & in corpore humano motuum confessionem,
mutuam affectionem & harmoniam: Quæ cognitio o-
mnino in pathologicis non caret suo pulcherrimo fru-
ctu. Nam quotidiana fere observatione docemur: fo-
minas robustas plebejas, laboribus deditas, & quæ ani-
mi constantioris sunt, a diro hoc malo plerumque immu-
nes esse: eas vero, quæ sanguineæ & cholericæ constitutio-
nis, & ad impetuosas & præcipites animi commotiones
proclives sunt, si malo afficiuntur hysterico, sævas & vio-
lentas in partibus nervosis commotiones experiri;
cum e contrario quæ phlegmaticæ & torpidioris sunt
naturæ, vel ex præcedente morbo, ut ex partu laborio-
so, aut ab immodica sanguinis profusione valde debili-
tæ, & ad metum, tristitiam ac terrorem propensa; in
paroxysmo hysterico non quidem tam impetuoso con-
vehantur, sed in crebriora animi deliquia incident; at-
que ob sumimam generis nervosi debilitatem nullum
strepitum, nullum murmur, nullum ventum vel affla-
tam, multo minus odorem quendam suaviorem, nisi æ-
gerrime ferre possint, atque aer frigidus vel levior ani-
mi affectus, afflumta quoque fermentescibilia & dulcia,
expeditæ & facile paroxysmum revoquent.

§. IX.

Verum enim vero non levis momenti quæstio nunc
decidenda venit, a quibus videlicet causis materialibus
& accidentalibus genesis hujus mali pendeat: qua in re fi-
antiquissimorum & recentiorum Medicorum monu-
menta consulimus, ad unum fere omnes duplicitis gene-

ris caussas , nempe semen corruptum , & menstruum sanguinem in utero vitiatum , eos allegasse conspicimus ; quod assertum ut paullo accuratori examini subjiciatur , & res ipsa , & certior ac securior medendi via , quæ non nisi caussis submovendis superstructa est , exigere videtur . Dispiciemus primum , quid de semine corrupto in utero sentiendum sit . Circa hujus problematis solutionem non levis momenti difficultates , dubitationes , & perplexæ implicationes occurunt , quid per semen nempe fœmininum , & quid per illud corruptum intelligendum sit . Nam exquisitiori nostri temporis Anatomicorum solertia satis evictum est , in nobiliore quidem sexu peculiaria extare organa , quæ testes vocantur , in quibus liquor subtilis spirituosus seminalis , ex sanguine per arterias spermaticas adveyto , secernitur & in certis loculamentis asservatur ; in sexu vero sequiori ejusmodi organa secretoria non inveniri , sed ad uteri latera corpora quædam globosa , ex vasis sanguineis membranis & vesiculis contexta , quæ pro ovaris habentur , a provida natura posita esse ; spermatica vero vasa innumeris ramificationibus ad uteri substantiam ferri certissimum est . Quum itaque recentiores Physiologi vesiculos in ovario contentas , pro semine muliebri , in quibus stupendæ , immo infinite parvæ magnitudinis fœtus latet , qui spiritu genituræ virilis tantum fœcundari & explicari debet , habeant ; alium vero liquorem seminalem in hoc sexu plane denegent , res certe difficillimæ indaginis erit , ostendere , quomodo liquor in ovulis contentus corrumpi & corruptus causam diro nostro malo præbere possit .

§. X.

Res itaque quo difficilior est , eo exactiorem in-

inquisitionem & meditationem meretur. Ante vero quam in eam descendamus, non alienum a nostro scopo erit, quædam phænomena & effectus, qui in fœminis circa illud tempus, quo ad generandam sobolem aptæ evadunt, contingunt, circumspicere & adducere. Enim vero attentior nos docet observatio, insignem virgines tempore pubertatis circa annum XIV. alterationem pati; utpote coloratores evadunt, pulchrior fit vultus, mammæ intumescere incipiunt: in maribus insignes quoque occurrent mutationes: barba crescit, vox magis fit sonora, & universi corporis partes majorem vigorem ac robur acquirunt. In utroque sexu, tum temporis stimuli & desideria ad venerem concitantur. Et sicuti in maribus major sanguinis ad testes, pro fecerendo seminali liquore, atque etiam ad genitalia erienda sit affluxus: ita in fœmellis quoque circa pubertatis annos major sanguinis copia ad uterum & ejus vaſa, ad fœcundandum ovum congeritur, & inde menstrui fluxus, si imprægnatio deficit, cauſa & origo petenda est. Illud insuper per quam dignam attentio- nem meretur, quod mutua & mirabilis illa desideriorum in animo cum motu sanguinis vitali & naturali ad certa membra conspiratio & consensio, nullibi magis quam in partibus generationi dicatis, poslit conspici: Nam simulac major sanguinis circa pubertatem in utroque sexu ad organa generationi destinata, fit affluxus, statim etiam stimuli & desideria ad venerem ineundam suboriuntur: & vicissim, quando ideæ ab objectis externis venustis in animo desiderium ad venerem accen- dunt, protinus ad genitalia major sanguinis & liquidi nervosi congestio inlequitur.

§. XI.

§. XI.

Quandocunque itaque in fœminis extra conjugium viventibus, vel ab objectis externis, vel largiori sanguinis ad uterum appulso, cogitationes & cupiditates venereæ in animo excitantur, non potest aliter fieri, quin lege jam commemorati commercii sanguinis per vasa spermatica ad ovarium, ad uteri quoque fabricam motus & affluxus intendatur; qui omnino, nostro quidem judicio, multum & abunde causam & occasionem ad progignendum nostrum affectum præbere poterit: certa enim experientia fide edocemur, & pro explorato habemus, ut plurimum stimulos & irritamenta in fœminis ad venarem hoc malum insequi; adeo, ut quo majora ea sint, eo etiam læviora symptomata eas excrucient. Nos itaque non dubitamus asserere, fortiorem illam animi passionem & imaginationis vim ad genesin huius immanis spasmodico - convulsivi affectus præcipuum momentum confetre. Qualem potentiam vehementes animi perturbationes, ut ira, metus, terror ad convulsivas motiones in partibus tam internis quam externis excitandis, quin immo ad pathemata in nostro morbo augenda habeant, res est notissima. Quam vero potentiam vehemens amor in corporis nostri motus vitales subvertendos habeat, non modo experientia confirmat, sed & inter philosophos ipse PLATO conceptis verbis affirmat: *Non solum in animum impetum facit amor, verum & in corpus sæpe numero tyrannidem exercet vigilis, curis, macie, dolore, tabitudine, & mille aliis affectibus lethalem noctam inferentibus corpus vexant.* Et, quod ex amore nimio homines sæpius insaniant, res in vulgus nota est.

§. XII.

Quæ quum ita sint, nullum mihi videtur dubium,
quoniam

quin statuant, cupiditatem ad venerem ineundam in fœminis ætate vegetis & calore multo ac sanguine vivido abundantibus potissimum momentum ad fœnitiam hujus morbi conferre. Ad illustrandum hoc assertum eximius locus apud CHARLETONEM *in exercitatione pathologica VII.* succurrit, qui ita se habet: *Mulieres quedam acribus copiosis spermatis igniculis prurientes, desiderio consuecendi cum viris in seva hysterica parhemata incident, hinc tantus in virginibus iuxta ac fœminis salaciорibus mali hysterici est proveniens.* Qua de causa etiam antiquiores Medici permoti fuerunt, ut retentum semen pro principe nostri mali causa habuerint & omnem medendi scopum ac consilium eo direxerint, ut vel conjugium, tanquam efficacissimum præsidium, commendaverint, vel retento in utero semini variis modis exitum parare studuerint. *Quo fit ut jure huc referri possit locus, qui exstat apud GALENUM commentar. in HIPPOCRATEM, Lib. VI. de locis affectis. c. V.* inquit: *Accidens quoddam apparuit in muliere ex longo jam tempore vidua, que, præter cetera mala, nervorum quoque distensione vexabatur, obstetricie dicente uterum esse retractum, hæc remedis ad hujusmodi affectionem consuetis uebatur, & inter curandum manibus trahabatur circa partes muliebres: Oborta titillatione cum voluptate, veluti per coitum usu venire solet, excrevit crassam pituitam plurimumque semen, atque ita a molestia sua mulier liberata est.* ZACVTVS quoque LVSITANVS, item PETRVS FORESTVS pluribus probant historiis, ex femine vitiato & retento malum hystericum subortum fuisse; & addunt, finito paroxysmo, ex relaxatis muliebribus copiosum humendum liquorem extillasse.

§. XIII.

Hisce ita deductis & constitutis, nunc paullo pe-

C

nitius

nitius disquirendum venit, quo modo quave ratione sanguis, sive alias humor, circa uterum, vel ejus annexas partes ac vasa nimium congestus, & ex diurniori mora & stagnatione vitiatus & corruptus, tantas turbas & immianes commotiones nervosarum partium in universo corpore concitare possit. Nos, quantum rationali conjectura assequi valemus, id duplice modo continere posse asserimus. Primum nempe statuimus, corruptam materiam, tetricis, quos emitit, vaporibus purissimo nervorum & fibrarum fluido infensissimis, ad prognendum id malum paratissimam esse: Magna enim & plane mirifica est tum suaveolentum tum graveolentum in motibus vitalibus invertendis, vel etiam immutandis vis & potentia. Considerenus saltim, quanta efficacia sit narcoticorum, in sensuum, & mentis functionibus intercipiendis, quae unice a vapore volatili, subtilissimo, nervorum fluidum purissimum & nobilissimum inquinante, pendet. Memoratu digna in hanc rem illustrandam HELMONTII observatio, quæ libro *de lithias*, §. 59. exstat, meretur adduci. Ita enim ait: Suffitum novi, quo mulier repente corruit apoplectica cum lateris paralysi talisque perseverat, nisi suffitus e fumo equino per infundibulum transmissus instituatur. Atque eodem loco idem auctor de se ipso referte, quod fumo carbonum in museo sub frigore hiemali in syncopen fuerit prolapsus, ut pro cadavere ablatus fuerit, cum gustus & odoratus amissione & vertigine, tinnitus aurium diutius permanente. Qui de perniciali fumi carbonum ignitorum noxa plura legere desiderat, is poterit venerandi PARENTIS observationes, quas de hæc materia collegit in medicina systematica Tom. II. p. 297. consulere. Verum enim vero ecquis est qui de noxio & plane damno-

damnoſo effectu & operatione vaporum motibus vitalibus infenſorum dubitare poſſit, ſi conſiderat ſævum ac atrocem noſtrum affectum in iis, quæ huic malo obnoxiae antea fuerunt, ſolo moſchi vel zibethi odore reſuſcitarī & rurſus etiam ſolis graveolentibus eſſrēnatos hoſtis motus in momento ſæpius compesci poſſe.

§. XIV.

At vero vitioſum & corruptum circa uterum ſubſiſtem humorem non modo tertio & maligno vapore nocere, ſed alio adhuc modo cauſam tam gravium ſympotomatū effectricem præbere noſtra eſt aſſertio. Idque maxime omnium ob violentam vaſorum & membranarum nervearum, a nimium congeſto hu- mōre diſtensionem & diſtractionem, quaſenſim ſenſim que per spinalem medullam univerſum nervorum & ner- vorum partium ſyſtema, ob mutuum conſortium, ſtru- cturem & ſimile officium in eſſrēnatos ejusmodi motus rapi potheſt, de quo effectu nemo facile ambigere po- terit, qui conſiderat a ſola obſtagnantem ſanguinem tu- nicularum ventriculi & iſteſinorum in malo hypochon- driaco vel colica hæmorrhoidalii diſtractione, ſævos ſpasmus & gravia nervosi generis pathemata poſſe iuſcitarī.

§. XV.

Ut vero noſtrum aſſertum paulo euidentioribus argumentis demonſtratum exhibeamus, non inconve- niens viſum eſt ea, quæ in diſectis hoc morbo defun- ctarum corporibus reperta fuerunt, in medium addu- cre. Primum prodeat VESALIVS, qui lib. V. de humani corporis fabrica cap. XV. teſtes hystericarum fœminarum pila ſæpe grandiores, modo luteo modo alio graver- glente humore infarctos reperit. RIOLANVS anthro-

pologia lib. II. pag. 35. testem pugno majorem induratum notavit. BINNINGERVS Centur. II. obs. XC, in foemina hysterica demortua testes, cum vasis spermaticis & tubis uteri valde tumidis, & inflatis humore crasto albo & ex parte indurato refertos, instar steatomatis dimidiæ libræ vidit. MANAGETTA in M. N. c. D. I. a. I. obs. 32, in hysterica dissecta uterum cum testibus materia seminali corrupta, quæ caseo recenter coagulato haud absimilis erat, turgidum invenit. DIEMER BROECK Anatom. lib. I. de ventre inferiore cap. XXIV. scribit: *In varis aliis, quæ in vita suffocationibus uterinis frequenter laboraverant, plerumque innueni aliquem prædicto tamen longe minorem magnitudinis excessum, in eorumque modo uno, modo utroque liquorē quendam eruginosum vel croceum, aut flavescentem.* Ex quibus observationibus oppido clarum esse arbitror, nostri morbi sedem non solum in utero, sed potius in vasis ad eum spectantibus, inque primis, in spermaticis, querendam esse; utpote quæ numerosis & mire invicem convolutis & implicatis ramificationibus ad ovarium & uteri fundum abeunt, ut adeo in iis quam facile sanguis & humores congesti nimium stagnare, hærere & tam gravium spasmorū in utero & extra eum quoque in partibus nervosis caußam præbere possint.

§. XVI.

Verum enim vero nunc nodosa & intricata admundū questio solvenda venit: Quare nimirum viri non similibus vel iisdem symptomatibus affligantur, qualia in foeminis observantur, eo, quod simili modo & sanguis & liquor seminalis in partibus generationi dicatis, nimirum vasis spermaticis, testibus, capsulis quoque seminalibus stagnare, & ibi vitiari & corrupti possit.

ad

Ad quam respondemus : Omnino non deesse ejusmodi exempla , licet non tam frequentia , adolescentum , qui circa , vel etiam post annos pubertatis ejusdem generis symptomata spastica & convulsiva cum dolore pessorio & lancinante circa ilia & in pubis regione nec non languorem totius corporis , extremonum refrigerationem , subsequente mox ingenti præcordiorum angustia , cordis palpitatione , faucium strangulatione , difficile ad suffocationem usque respiratione patiuntur ; quorum nonnullos quoque in convulsiones artuum , inque syncopem prolaplos esse Dn. PAREN S obseruavit . Si in originem tam atrocium & insolitorum symptomatum inquiramus , varia se offerunt phænomena , quæ clare & dilucide commonstrant , graves has passiones a nulla alia caussa , quam a copiosiori sanguinis ad vasa spermatica & testes affluxu , nimirum has partes vasculosas & nervosas distrahente & distendente subortas fuisse .

§. XVII.

Ita pronuper adolescens nobilis se decim annorum , staturæ procere & habitus corporis robusti & carnosí , sanguine & succis præter naturæ modum turgens , de gravi circa inguina , ubi vasa spermatica descendunt , dolore conquerebatur , & quod præter voluntatem ad membra erectionem , variis ad venerem in animo desideriis obversantibus , sollicitaretur : non ita multo post in febrilem quendam incidebat insultum per aliquot dies infestantem , quo remittente post aliquot septimanias eadem circa inguina passus est molesta incommoda , sed jam longe alia superveniebant accidentia hysterici plane non dissimilia : nam horribiles spasmi , a pubis regione ad dorsum , ad præcordia , ad septum transversum , ad cor , ad fauces , immo ad ipsum cerebrum adscen-

dentes, præcedente cordis palpitatione, strangulationem faucium, spirandi angustiam, animi deliquium, soporem, accedentibus etiam artuum convulsivis tractionibus concitabant, qui paroxysmus singulis fere mensibus repebat. Hic, quod erat per quam notatum dignum, immiani semper ciborumurgebatur appetitia, alvus autem semper erat adstrictior, ita ut fortiora purgantia eluderet. Praeter hæc vasa mirum turgebant sanguine; pullus, qui sub accessione valde erat inæqualis & depresso, post eam magnus & concitatus observabatur. Variis usus est & Medicis & medicamentis antispasmodicis, antiepilepticis, foteriis quoque fontibus, sed parum inde utilitatis percepit: postquam vero ex consilio venerandi Parentis singulis fere mensibus sanguis e vena secta sex semper unciis fuit imminutus, & loco ordinarii potus aqua fontana usus est; nitrosis quoque pulveribus paullo largiori portione, ad sanguinis orgaſmum deprimentium, in usum vocatis; atque etiam validiore corporis motum, tranquillum vero & ab arduis meditationibus, quibus excellentis ingenii adolescentis nimium semper indulgebat, mentem vacuam fervavit; sanitati fere integræ restitutus est. Plura ejusmodi exempla non modo adolescentium, sed etiam virorum extra conjugium viventium, nobis obvia sunt, qui ex solo retento semine & nimia castitate in eadem fere, quæ hysterico affectui propria & essentialia esse solent, pathemata incidunt.

§. XVIII.

Postquam igitur satis abundeque demonstravimus, quid per retentum & corruptum semen muliebre, quod veteres æque ac plurimi recentiores pro præcipua paſſio-

tionis hystericae caussa allegare voluerunt, sentiendum sit; consequens nunc est, ut etiam nostram de altera caussa, quæ nunc temporis maxime urgetur, vitato nempe menstrui sanguinis fluxu, sententiam proferamus. Evidem id pro certo & indubitate habendum, innumera mala vatiique generis afflictiones a critico hoc præter naturæ modum se habente fluxu subnasci; sed quod semper proximam & continentem mali hysterici caussam constitutus, id minime pro rato ac statu habendum est: Nam vidimus virgines & foeminas annosas hysterico morbo pertinaciter laborasse; quibus tamen menses, vel etiam hæmorrhoides, satis liberaliter profluxerunt. Similem observationem etiam legere licet in CAROLO PISONE lib. cit. sect. II. Part. II. c. VII. ubi feribit: Memini-
mus toto illo anno, quo nobilissimam virginem primum invast detinuitque hystericus affectus, adeo pertinaciter, ut vix respirandi lo-
cum frequentia symptomatum permitteret, tamen menses illi flu-
xisse legitimo tempore & modo, ac pro consuetudine, & postea sem-
per, immo præter menses hæmorrhoides identidem & satis libera-
tiser. Interea tamen id negare non possumus, in ipso morbo, immo saepius ante & post eum, solennem hanc & criticam fluxionem vitio quodam laborare, ac secundum tempus ordinem ac modum plerumque non recte pro-
cedere: ex quo tamen minime inferendum videtur, quod pro caussa mali antecedente & proxima semper haberi debeat; quum pro effectu ipsius hoc mensum vitium saepe numero existimandum sit, quum ea sit spasmodorum in-
doles ac vis, ut omnis generis excretiones ex facili tur-
bent, pervertant, immo penitus cohibeant.

§. XIX.

Nihilo tamen minus in totum ex caussarum pas-

rum passionis hysterice censu mensium fluxum excludendum esse non censemus. Nam multoties a nobis observatum est, virgines, quando mensium fluxus circa pubertatis tempus instat, pathematibus hystericis obnoxias esse, dum ob impeditorem fluxum sanguis & vasa & fibras nerveas vehementer distendit & distrahit: neque deflunt nobis plures observationes, ubi repentina purgationis menstruae per vehementem terrorem praefertim in personis sensibilioris naturae, suppressionem gravissima mox hysterica pathemata etiam epileptica subsequuta fuerunt; Et tale exemplum paucis abhinc diebus vidimus in virginie Judæa quindecim annorum, cui primum fluere menses cooperunt. Hæc inopinato nuntio de morte patris absentis vehementer perterrita, post cohibitum omnem ex utero fluxum, aphona reddebat, non ita multo post intercepta omnium sensuum functione, in convulsivas artuum distractiones rapiebatur, facie valde rubicunda & tumida apparente, quæ tamen nostro consilio, sanguine e vena tali emissu & datis specificis antispasmodicis & epilepticis, integre restituta fuit; qualis observatio abunde nos docere potest, quantum potentiam menstruus sanguis, per terroris vehementiam celeriter in interiora repressus, in fuscitandis generis nervosi morbis possideat.

§. XX.

Neque hoc loco ad statuminandam nostram hypothesis inconveniens duco ex actis Vratislavensium, an. 1700. historiam morbi nostri adscribere. Mulieres quædam, quem imminet tempus, quo tributum menstruum solvendum est, primo quidem experiuntur anxieties praecordiorum, cordis palpitationes, anxieties miras cum artuum lassitudine & cephalalgiis, deinde post varios spas-

spasmos hypochondriorum, & dolores tensivos in dorso & osse sacro ac regione pubis, tandem erumpunt in quantitate non magna menses; iste vero fluxus apud has paucis durat horis, apud alias diurno, aut longiori adhuc spatio circumscribitur, at infra tempus debitum atque justo citius sistitur. Cessante vero fluxu exquisitissimi dolores vibrantes & lancinantes, per dorsi longitudinem ad cervicem usque diffusi, sese exserunt, in abdomen autem acutissimi dolores flatulentii adsunt. Ex dorso irruunt acutissimi isti dolores punctorii in caput, & tempora occupant, atque hinc singulis momentis exacerbantur. Dum autem caput dolore gravissimo, distendente, gravativo ac punctorio torquetur, facies inflatur, malæ rubore suffunduntur, ac vultus mediocriter ardet. Nonnunquam dolor acerbissimus in certo pericranii punctulo, quod transverso pollice contegi posset, tantum hæret, non minus tamen est penetrans, quam si clavus ferreus in caput vi adigeretur, ut optime describit SYDENHAM p. 487. & 499. unde etiam affectui nomen clavi hysterici indidisse videtur. Dolorem illum aliquando etiam comitantur enormes vomitus, plerumque vero cum illo conjuncta sunt febricula, agrypnia, lassitudo artuum, alvus adstricta, horror per intervalla recurrens, extremorumque frigus. Post aliquot dies inclinat morbus, & symptomata mitescunt.

§. XXI.

In puerperis vero ob lochiorum fluxum non rite succedentem pathemata hysterica frequentius observantur, quod etiam suo tempore HIPPOCRATES notavit, qui libro, *de natura mulierum* §. IX, disertis verbis id exprimit: *Si ex partu non fuerit purgata femina, tumet venter & rigor ac dolor crura, imum ventrem ac lumbos tenet, quandoque*

D

doque

deque etiam ad viscera adscendit & femina animo linquitur.
Vidimus pueras saepius primis a partu diebus ab aere
frigido ad imum ventrem admisso, a levi animi motu, a
longiori corporis extra lectum detentione, prævia hor-
ripilatione & extremorum refrigeratione in animi deli-
quias pulsū plane intercepto incidisse: alias in summam
præcordiorum angustiam, & tantam virium imbecillita-
tem collapsus, ut morti proximas esse sibi persuaserint,
conquerebantur insuper de pudendorum siccitate, de glo-
bo ex ima pubis regione adscendente ad stomachum,
quem tactu etiam se & obstetrices deprehendere dixerunt.
Quandoque vero ob dolores & spasmos mox primis a
partu diebus lochia deficere incipiunt, vel plane cessant;
atque medicus ob præjudicia sanguinis per se etiam in pe-
de venam missionem negligit, sœva inde spasmatica
pathemata, cum immanni abdominis, pubis, lumborum
dolore lancinante & pressorio acuto consequuntur, quæ
superveniente denique summa præcordiali anxietate,
spirandi angustia, inquietudine, assidua vigilia, demum
in plenarium virium collapsum & ipsam mortem tan-
dem, quod aliquoties vidimus, terminantur. Saepius
quoque evenit, ab immodica & diutius perseverante lo-
chiorum fluxione, leviori accedente externa causa,
pathemata hysterica, animi præsertim deliquia cum ex-
tremorum refrigeratione insequi, quæ tamen conveni-
ente cura & solertia medici adhibita, & datis accommoda-
tis præfidiis faciliori negotio discutiuntur. Neque gra-
vidæ, maxime, quando sanguineo - cholericæ constitu-
tionis sunt, ab ejusmodi uteri spasmis sunt immunes: vi-
dimus eas circa tertium vel quartum menseni gravi ira-
cundia affectas in præfationem, in summum virium
lapsum, immo in syncopem per aliquot horas durantem
sub

subinde incidisse, a quibus tamen secta vena & adhibiti medicamentis spasmodicis, nitrosis, iuuante Deo feliciter liberatae fuerunt. Illud tandem hoc loco monendum duximus, quod in foeminiis plethoricis, & quæ in vehementes affectus proclives sunt, semper & vehementiora & periculosiora apparent symptomata, ac in corporibus imbecillioribus. Veteres inque primis GALENVIS graviora symptomata a semine retento, quam a mensium defectu vel vitio annotarunt: atque rationem in proclivi esse positam censemus, quod, ubi veteres retentum semen tanquam caussam statuebant, vehemens coeundi desiderium nunquam non coniunctum fuerit.

§. XXII.

Postquam igitur satis dilucide caussas & generationem affectus hysterici, & symptomatum complicatorum deteximus, longe nunc facilius & expeditius erit, quomodo hic morbus ab aliis plane discreper & disiunctus sit, perspicere: Nam nihil nostro tempore est frequenter, quam ut is non modo a mulierculis sed etiam a medicis cum aliis, quibuscum aliquid commune habet & præcipue cum malo hypochondriaco confundatur. Operæ igitur erit pretium, si paullo specialiori tractatione de hoc discrimine acturus sim. Primum saepè confunditur cum syncope, a qua tamen multum differt; nam in hac pulsus penitus cessat, facies est contracta & moribundo similis, quum in præfocatione uterina plerumque sit colorata, tumida, sub pulsu languido: deinde hysterica passio quandoque, testantibus exemplis, ad duos vel tres dies perdurare potest, quod de syncope dici nequit. Deinceps differt quoque ab apoplexia, ubi sub sensuum & motuum voluntariorum abolitione, sterter cum ægerrima spiratione & pulsuum celeritate est, qui

D 2

in

in hysterics minime conspicitur. CELSVS lib. IV. cap. XX. morbum uterum distinguat ab epilepsia his verbis: *vulva morbus interdum sic exanimat, ut tanquam comitati morbo prosternat; digesta tamen hic casus in eo, quod neque oculi claudantur, nec spuma profluant, nec nervi distendantur.* Atque etiam in eo differentiam quandam animadvertisimus, quod in epilepsia, affecta sedes sit dura mater & principium nervorum ac spinalis medullæ, & spasmi in capite per systema nervorum & per dorsalem spinam ad loca inferiora ferantur, quum in malo hysterico ea spasmorum sit natura ac conditio, ut ab utero incipient, & postea, ob connexionem & communionem, in nervos ossis sacri, & demum gradatim secundum spinæ longitudinem in superiores nervos & partes fere insinuant. Differt quoque malum hystericum a flatulentia primarum viarum, de qua præclarus locus in BALLONIO lib. cit. pag. 232. exstat hic adducendus: *Vulgo videmus ancillas & fœminas nimium gula deditas, præferim si pinguioribus sint habitus & hororum fructuum usū delectentur, dolores incredibilis in imo ventre sentire, unde defectiones animi, pulsus inegalitas, respirandi difficultas, & id totum hystericum esse putant: tamen vere non est.* Sed quoniam in isto humorum impetu, ob partium cum partibus consensem, vix incolmis uterus esse potest, qui peculiaria quedam inducit symptomata, politico potius loquendi modo, quam quod res ita habeat, uterina affectio nominatur.

§. XXIII.

Fatendum quoque est, cum ipso dolore ex calculo nostrum affectionem sèpissime confundi, cum in utroque atrox dolor in lumbis plerunque sit, cum stimulo ad min-

mingendum, nausea quoque, vomitu, præcordiorum anxietate, & alvo valde adstricta, associatus: sed deficit faucium strangulatio, animi defectio, respiratio valde intercepta, & quod affecti non a suaveolentibus tam graviter laedantur. Sunt etiam, qui cardialgia, qui colicam spasmodicam in sceminiis pro morbo uterino habent, eo, quod summus dolor circa præcordia, anxia spiratio, omnium virium lapsus, alvi pertinax adstrictio, extremorum refrigeratio hunc morbum comitantur: sed atrocia tormina imi ventris, quæ nunquam non convulsivam colicam excipiunt, deficiunt. Neque in passione hysterica tam atrox & acutus in scrobiculum cordis dolor incidit, ut in cardialgia fieri solet.

§. XXIV.

Quod si vero ulla est affectio, cum qua nostra passio ratione symptomatum, ratione partium affectarum quoque convenire videtur, est omnino affectio sic dicta hypochondriaca; unde etiam plurimi nostri temporis clarissimi nominis Medici morbum hypochondriacum & hystericum pro uno affectu habent, gradu tantummodo differentem: habet enim uterque plura inter se similia & communia symptomata, cuius generis sunt anxia præcordiorum constrictio, ægra spiratio, murmura & rugitus in ventre, dolor tensius in dorso & hypochondriis, pertinax alvi adstrictio, languor totius corporis, cordis palpitatio, impetuosa ructuum per superiora, cum quadam levamine, eruptio, anxietas & ingens inquietudo animi & corporis. Verum enim vero non exigui ponderis momenta & rationes sunt, quæ non levem, sed insignem horum affectuum discepantiam, medico scitu omnino necessariam, commonstrant. Quandoquidem morbus hypochondria-

driacus, si ullus alias certe hic chronicis & pertinacibus annumerandus est; jam vero id in praxi s&pius occurrit, quod gravidæ, quod puerperæ, quod viduæ sanguine & fucis abundantes post gravem animi motum vel virgines post repentinam fluxus menstrui suppressionem immanibus hystericis pathematibus affligantur, quæ tamen recta curandi methodo transeunt, nec unquam revertuntur. Deinde hysterica passio subito s&pe & ex improviso vehementer & impetuofas habet accessiones, ut affectæ repente in terram concidant, omni sensu ac motu privatae, quod in hypochondriacis non animadvertisimus. Atque etiam illud peculiare habent hystericæ, quod maxima symptomatum vehementia, qualis est, quando sensuum & mentis functio intercipientur, solo suffitu accensarum pennarum admoto naribus celeriter diminui & interdum etiam penitus tolli possit. Atque etiam affectio hypochondrica perniciale suam vim & effectum præcipue in magno illo intestinorum ventriculi & œsophagi canale per spasmos & flatus exserit, quum portione intestini, & quam maxime coli aut recti fortiter spasmis constricta flatus ad superiora usque ad ipsum ventriculum regurgitant, & ascendunt, sumnamque spirandi augustiam & præcordiorum anxiām coartationem, dolores quoque tensivos in hypochondriis, aliaque id genus symptomata, efficiunt: spasmī autem a stagnante sanguine intra tunicas intestinorum neveas originem suam petunt: dum videlicet sanguinis per amplum hepatis vasculosum illud viscus & per totum systema ramificationum venæ portæ, valde tarde & impedita progreditur. In passione vero hystericā, prima spasimorum origo potius querenda est in ipso uto-
ro, quum a sanguine, in ejus vasis stagnante, ejus fibræ,
quæ

quæ a liquido nerveo per ossis sacri nervos & ramum intercostalem sensum ac motum suum recipiunt, valde distentæ vehementi spasmus afficiuntur, qui deinceps nervos, universos medullæ spinalis, & præcipue, qui ad musculos abdominis & lumbos abeunt, & ex parte etiam neruunt mensentericum, qui ad intestina fertur, in consensum rapiunt. Accedit etiam illud, quod spasmus in malo hysterico præsertim in puerperis orificio uteri interum, quod valde nervosum est, primum afficiat, & quoniam hoc cum principio vaginæ & sphinctere vesicæ arcte connexum est, fit, ut hysterica sub morbi accessione continuum ad matulam stimulum persentiant; Cujusmodi symptomata in sceminiis, quando passione hypochondriaca tentantur, non facile advertuntur.

§. XXV.

Præter hæc, hystericus morbus id plane peculiare symptoma sibi vindicare videtur, quod in eo abdominis musculi tam vehementer intorsum contrahantur, ut quasi manibus fortiter compressi sentiantur, quo ipso etiam umbilicus profundius retrahitur, quem si vitium est in hypochondriis, venter plus extorsum distendatur. Et quamvis in hypochondriacis, in ipso insultu extremae partes non secus, ac in hysterici refrigescant, tamen in his regio lumbaris acre & in credibile frigus særissime occupat, ut manibus percipi, neque valde calefactis linteis temparari possit. Frequentissime etiam fit, ut ingens instar clavi dolor certum & circumscriptum in vertice capitis locum occupet fixum, qui ob id clavi hysterici nomine venire solet. Inter signa quoque nostri morbi, illud referendum est, quod in multis globi ex imo ventre adscensio versus

sus superiora intus percipiatur. Quod symptoma, nostro quidem judicio, duplicis generis caussam agnoscit; quum in puerperis, uterus adhuc turgidus a flatibus, ob spasmum orificii interni intus retentis & incarceratis, præter modum expandatur, atque intestina sursum urgeat, vel etiam hoc sit quando portio intestinorum sive potius coli, quod sub ventriculo jacet, flatibus nimium turgescit, quibus liber cursus & exitus, ob intestinum alibi spasmus constrictum, denegatus est. Deinceps, tam frequens animi deliquium, & tam subita ad suffocationem usque intercepta respiratio, cum fauci tam forti strangulatione, in malo hypochondriaco non observatur. Evidem difficilis spiratio affligit quoque hypochondriacos ab inflato ventriculo, qui septi transversi descensum impedit, originem ducens; longe gravior vero & atrocior in hysteris accidit, quæ, non tam ab inflatione ventriculi, quam a vehementi muscularum abdominis contractione & compressione longius durante proficiscitur. Liberam enim respirationem a reciproca & alternante contractione & dilatatione muscularum intercostalium, diaphragmatis, & muscularum abdominis fieri, res extra dubium in physiologicis positata videtur. Nam, quando musculi intercostales distenduntur, musculi abdominis debent contrahi, & quando illi contrahuntur, hi debent distendi, & extrinsecus moveri: ubi itaque per fortissimum spasmum abdominis musculi ita comprimuntur, ut eorum alternativa distensio non possit habere locum, necesse est, ut nec contrahi possint intercostales musculi: unde fit, ut respiratio ad tempus plane cesset; & hac ratione gravia & periculi plena symptomata eveniunt. Nam intercepta respiratione sanguinis ex uno ventriculo cor-
dis

dis in alterum circulus ac motus sistitur , & syncope
insequitur , & quoniam hac ratione liber sanguinis mo-
tus & circulus per caput etiam impeditur , fit , ut a ni-
mia sanguinis & humorum in vasis meningum conge-
stione , aphonia , sopor & sensuum tam internorum , quam
externorum defectio seu potius levior apoplexiæ species
progenerentur . Tandem etiam hoc ad utrumque affe-
ctum rectius internoscendum commemorandum vide-
tur , quod alia mali hypochondriaci , alia hysterici so-
lutio , & aliis quoque utriusque in morbos transitus sit :
Nam hypochondriacis frequentius melancholiam , scor-
butum , lentam febrem , morbum quoque sic dictum ni-
grum supervenire , ipsa experientia edocemur , quum
uterina passio infeliciter sepius in epilepsiam , in lethalem
syncopem , in furorem uterinum , in acutam febrem termi-
netur . In corporibus quoque hisce morbis extintis & dis-
fectis longe alia & valde differentia oculis se sifunt in vi-
sceribus affectis accidentia : Nam in iis , qui hypochondriac-
co affectu moriuntur , imi ventris viscera , ut hepar , lien ,
pancreas indurata , & scirrhosa corrupta plerumque offen-
duntur , quum in hystericiis , ut supra clare demonstra-
vimus , vitium & corruptela magis in utero & ovariis
deprehendatur . Ultimo loco id non prætereundum
est , hypochondriacos nunquam tanta synsymptomatum
vehementia infestari , ut pro mortuis & sepulcro de-
stinatis habeantur , quum non raro illud in hysteri-
ci evenisse , historiæ fide dignissimæ testentur . Hi-
scœ jam latis plene & dilucide in medium adductis
argumentis & rationibus ptope & ingenue pensita-
tis & consideratis , cuivis jam dijudicandum relinquo ,
annon magna & notabilis inter hos duos morbos sit

E

dif-

differentia, quæ in praxi recte instituenda non singula-
ri suo usu & fructu destituitur, quod etiam fusius in se-
quentibus persequi nobis constitutum est.

§. XXVI.

Postquam itaque dilucide satis morbi nostri ge-
nium, sedem, causas & ab aliis similibus differentiam
explanavimus, atque evolvimus, ordo nunc tractatio-
nis exigit, ut ad ejus curationem, quæ etiam non pa-
rum ab ea, quæ fit in hypochondriacis, distat, nos con-
vertamus. Quum vero omnis rectæ curationis ratio in
eo potissimum consistat, ut naturam ægrotantis, quoad
vires, quoad solidorum & fluidorum statum probe per-
spectam cognitamque habeamus, & deinde, ut morbo-
rum caussis amoliendis accommodata remedia invenia-
mus; naturæ vero mulierum, quas etiam probe in cura
discernendas jam diu HIPPOCRATES inculcavit, cum valde
differentes sint, nec caussæ semper & indole & vehementia
eædem: oportet certe prudentem medicum & omnia pro-
be circumspicere, & pro differenti rerum & circumstan-
tiarum ratione medelam dirigere.

§. XXVII.

Primum vero nostra quidem sententia est, ut atten-
dat medicus, num foemina quam curandam suscepit, sit
valde plethorica, vel potius sanguine & viribus exhau-
stum corpus habeat? in priori statu ad spasmorum &
convulsionum vehementiam, quæ in sanguine abundan-
tibus longe major est, quam in aliis, minuendam, non
facile præsentius & efficacius ipsa venæfæctione reme-
diū invenitur; que, si major sanguinis copia urget, lar-
gior esse debet, vel iteranda. Ego PRÆSES memini
serenissimæ personæ, quæ spasmis uterinis crebrius &
immaniter cruciata, sine omni sensu & motu, facie ru-
bicun.

bicunda tumida, instar apoplectica jacebat & ter vel quater in hebdomade accessionem habebat, sed nullo alio, quam venæsectione in brachio instituta remedio, poterat sublevari. Ego etiam certo possum asseverare, virgines sanguine plenas sèpius respiratione & loquela privatas, mensibus repente per terrorum cohibitis, vel epileptico quoque insultu correptas bis uno die instituta venæsectione restitutas fuisse. MERCATVS & RODERICVS a CASTRO venæsectionem omnibus aliis remediorum generibus præferunt, præsertim, quando a sanguinis abundantia & menstruorum retentione malum fovetur; quibus etiam calculum adjicit, HÖCHSTETTER VS obseru. V. Præterea HIGHMORVS libr. de passione hysterica venæsectione sola & iterata insultus vehementiam fractam, motusque convulsivos profligatos fuisse, cæteris omnibus nihil proficientibus, fideliter testatur. Notabilia etiam sunt, quæ habet PANAROLLIVS Medicus Romanus in iatrologismis sententia II. obseru. 30. Mulieres, inquit, sèpe hystericas passionibus cruciantur, in quibus phlebotomia in ipso animi deliquio est celebra. Vestalem hac de caussa agentem animam phlebotomia sanitati restituimus quum adstantes moniales me temerarium appellarent.

S. XXIIX.

Commemoratu quoque digna est historia Monialis ab HÖCHSTETTERO dec. IV. cas. II. relata, quæ cum ex mensium vitio horribilibus ex utero convolutionibus diu afflita fuerit, nec ullum remedium iis mitigandis idoneum repertum, tandem ad venæsectionem tanquam ad sacram anchoram confugiens singulis mensibus primum, deinde quolibet trimestri se-cta vena convaluit. Consulantur quoque de hoc reme-

dio Miscellanea curiosa D. I. an. 10. obs. 58. item 42. R I V E R I V S neque minus SEPTALIVS magnæ famæ medicæ venæctionem seu optimum cum ad præservationem tum ad curationem hujus morbi remedium apprime in scriptis suis laudant, quæ omnia hac cautione & observatione sunt intelligenda, ubi videlicet manifesta plenitudinis adfuerint signa, vel menstruus sanguis diu fuerit retentus aut suppressus.

§. XXIX.

Nunc ulterius dispiciendum est, quid a Medico perito in ipso paroxysmo, ut ejus ferocia mitigetur, agendum sit: Sequimur hae in re medicorum antiquissimum ipsum nempe HIPPOCRATEM qui graveolentia naribus applicanda suadet, qualia sunt castorina, asa foetida, fumus plumarum perdicum, quod remedium uti mulierculis familiarissimum & domesticum ita præstantissimum est. Ex compositis aqua hirundinum acida cum castoreo, spiritus urinosus volatilis cum oleo rutæ & essentia castorei nobilitatus, extrinsecus naribus offeratur. Vidimus sepiissime foemellas gravi sopore oppresas & moribundis similes ab usu horum remediorum ad se rediisse, & quasi in vitam revocatas. Auspicata hujus operationis in eo mihi videtur ratio confitere, quod salini volatiles ejusmodi vapores in nervosas cerebri membranas dum penetrant, iis ipsis novum robur, & vigorrem addant & vim systalticam depresso restituant, & sanguinem atque humores ibi subsistentes discutiant. Multum quoque ad sublevandum dirum affectum confert compressio imi ventris cum cingulo præsertim ex corio Moscovitico vulgo Juchten confeccio, quod remedium quam maxime inpuerperis, si hoc malo coripiuntur, loquum invenit. Est præterea hoc corium odo-

odore & hypochondriacis & hysterics valde amicium.

§. XXX.

Magnum quoque si praesens paroxysmus est, in expedita alui aperiotione, quae ut plurimum solet esse constrictissima, ut nullus fatus transmitti possit, est præsidium; commodam hac in re clysteres praestant operam, ex speciebus appropriatis, ut radice & semine levisticorum, quæ specifica sunt, floribus chamomillæ vulgaris sambuci & seminibus quatuor carminativis sero lactis incoctis sunt apparandi, quibus postea sufficiens quantitas olei cocti ex anetho vel floribus chamomillæ adjici potest: ubi vero fortior stricture alvi & intestini recti est, ut clysteres admitti nequeant, longe consultius est, pura olea expressa vel axungias injicere; cujus generis sunt axungia taxi, pinguedo castorei, oleum anethinum & ejus generis. Dici vix potest, quam desideratus in alvo aperienda ab ejusmodi clystere qui omni stimulo privatus est in sublevandis symptomatibus subsequatur effectus. Mirifice quoque ab eorum usu fluxus & mensum & lochiorum adjuvatur.

§. XXXI.

Videbimus jam quenam porro alia externa ipso in insultu utilia & a quibus allevatio peculiaris experientanda sit: Mirum dictu est quam singularis & plane mirabilis emplastris, quæ graveolentiam habent, ut sunt ex opoponace bædellio galbanio sagapeno asa fœtidata parata, medicis & antiquis & recentioribus virtus ascribatur, si umbilico vel pudendis applicentur. Digna notatu sunt, quæ FORESTVS lib. 28. observ. 32. hanc in rem profert, dum scribit: Apposito pudendo mulierib[us] tali emplastro statim laxabatur uterus humiditate

quadam seminali ex locis muliebribus excurrente , atque utero mox relaxato ægra furgens bene se habebat ; non ita multo post hæc ipsa boni habitus & satis salax marito copulata belle ac sana vixit . Neque inter externa antiquissima illa & HIPPOCRATIS & GALENI auctoritate & decreto comprobata medendi ratio , quæ fit per suaveolentia utero immissa nobis erit prætereunda , presertim quum videamus præstantes recentiores ævi medicos horum usum plurimum commendare . Etiam si vero certam & nostram experientiam de eorum effectu singulari non adducere possumus ; tamen , quum horum operatio magnæ rationum probabilitati innitatur , nolumus illorum penitus usum repudiare , ob hanc potissimum rationem , quod suaveolentia , ut moschus , Zybethum , Styrax , Benzoe , ex quibus suffumigia ad uterum apparari solent , copiosa & blanda sulphurea exhalatione fibras uteri spasmo valide constrictas relaxandi potentia gaudent , ut sæpe ab horum applicatione crassus & putridus humor sensibiliter effluat : nam spasmus vasorum & fibrarum uteri sopitis , major fit sanguinis affluxus , & melior circuitus , & partis affectæ calor , qui humiditates stagnantes resolvit , consequitur ; cum gravi & acri odore prædicta contrarium plane effectum in meningibus & nervosis capitis partibus a collectis ibi humoribus valde relaxatis exserant .

§. XXXII.

Ad immanes uteri spasmus præter externa jam recensita naturæ jam languescenti per appropriata quædam interna succurrendum est , inter quæ nostra quidem experientia principem sibi vindicant locum pilulæ antispasmodicæ , quæ ex myrrha , sagapeno opoponace , asa foetida , castoreo , croco : sumtis ad drachmam dimidiām æ qualibus partibus paran-

parantur, adjectis interdum sex vel octo granis camphoræ & laudani opati: ex scrupulo uno possunt formari pilulae decem, & singulis horis duas assumi cum aqua florum chamomillæ. Incomparabile sape præter omnem spem ac opinionem ab hoc remedio levamen observavimus:

§. XXXIII.

Postquam ea remediorum genera, quæ potissimum ipso in paroxysmo ad ejus impetum refrenandum multum levaminis afferunt, proposuimus; sequitur jam, ut circumspiciamus, quænam quiescentibus gravioribus symptomatibus, præcipuum sibi locum in eradicandis mali caussis vindicent. Nos, & crebra experientia & valida ratione adducti asseveramus, primam regionem, quæ vitiosorum humorum colluvie, plerumque valde repleta est, accommodatis remediis esse expurgandam, idque eo magis faciendum, quando in ipso paroxysmo largius anodyna, graveolenta & vehementes commotiones sistentia adhibita fuerunt. Dici vix potest, quantum commodi atque emolumenti in erigendis viribus inde afflictæ experiantur, maxime, quando alvum solventibus adjungantur, quæ excretionem sanguinis & humoris corrupti in utero simul adjuvant, & blandi spasmos sedant, & transpirationem promovent; ex horum censu pilule Becherianæ, sive ad earum exemplum concianatae ob insignem usum & efficaciam laudem & commendationem merentur, præsertim si loco stimuli extractum Panchym. Crollii, & ex antispasmodicis, cinnabaris præparata, & unum vel alterum granum extracti croci & castorei adjiciatur: sufficienter sic iteratis vicibus prima regione a vitiosorum faburra evacuata & liberata, ea in auxilium vocanda sunt, quæ virtute & sedativa & simul diaphoretica sanguinis & humo-

humorum motum ad exteriora dirigunt, & liberrimam perspirationem & difflationem seri vitiosi & impuri procurant, quod sæpiissime ipso in paroxysmo magis adhuc dignitur & congeritur. Ad hunc scopum obtinendum varia & multa experientia comprobata in medium producere possemus; sed sufficiant saltem hæc, quorum mirabilem plane in hoc gravi morbo compescendo effectum sæpius vidimus; qualia sunt spiritus cornu cervi, vel eboris probe per rectificationem purificatus, vel etiam spiritus Bezoardicus Buffii, spiritus cornu cervi succinatus, spiritus tartari bene præparatus, qui volatiles spiritus commodissime maritari possunt cum liquore anodino minerali, cum essentia croci, caustorei, succini, immo cum laudano liquido; quo medicamento prudenter pro temporis & circumstantiarum ratione usurpatu nihil videlicet præstantius, quem sanguinis videlicet & humorum circulum ad partes extremas, & ad statum naturalem optime reducat. Post eorum usum crebrius iteratum mollior fit habitus corporis, summae partes corporis antea frigidæ & contractæ calore & madore temperato perfunduntur. Et sicuti sæpius solius naturæ beneficio, sine medici ope ejusmodi graviores spasmatico-convulsivæ passiones latriiore fudore solvuntur; ita eo magis medicus hos naturæ bene operantis effectus observare, & convenienti medicina secundare, adjuvare, minime omnium vero suppressimere vel cohíbere debet.

§. XXXIV.

Hisce ad eundem scopum obtinendum alia non inferioris facultatis præsidia interponi possunt utilissime; cujus generis sunt pulveres, qui secreta & specifica quadam qualitate spasmis & convulsivis motibus

bus sopiendis dicata sunt, ut pulvis Marchionis, speci-
ficum cephalicum Michaëlis, pulvis , qui ex secundi-
na humana siccata, visco quercino, succino, coralliis, cro-
co & castoreo, & anthophyllis paratus est, quorum usu
instar incantamenti convulsivas epilepticas motiones ar-
tuumque agitationes siluisse, aliquoties vidimus ; si mo-
do ejusmodi indolis & virtutis remedia non ante solu-
tam plethoram, nec ante impuriorum humorum suf-
ficientem per alvum evacuationem usurpentur.

§. XXXVI.

Verum enim vero, quum in ejusmodi morbis spasmoidicis, in quibus graviter totum sistema nervorum lœsum est, recte curandis, magna prudentia medici opus sit, ut naturam individui laborantis, neque minus vim & caussam morbi valde sèpius differentem probe di-
gnoscat ; ita quam maxime in passione hysterica id ne-
cessarium esse, crebrior nos docuit observatio. Vidi-
mus enim hoc malo afflitas, quæ nullo modo graveo-
lentia , sive interno sive externo usu ferre potuerunt,
quæ in aliis præsentissimam openi tulerunt. Vidimus
etiam nonnullas, quæ ipso in paroxysmo graviori syn-
cope oppressæ erant, sola aquæ frigidæ adspersione in fa-
cie, frustra adhibitis validioribus & spirituosis in vitam
revocatae fuerunt. Quædam calidioris & sensibilioris
naturæ nulla calida sive extrinsecus sive intrinsecus ad-
hibita ferre possunt, adeo ut a balneis, fomentis, ini-
mentis, nervinis, calidis non parum lœdantur ; Non
dissimili modo sese res habet cum anodynîs & opiatis,
quæ in enormibus compescendis spasmis & doloribus
quibusdam exoptatissimum afferunt levamen, quum in
aliis, ubi genus nervosum maxime debilitatum est, non
minimum damnum inferant. Vidimus solo aquæ potu-

F

qua-

quasdam a gravi paroxysmo liberatas , qui tamen alius erat nocentissimus ; Tantum resert in morbis mulierum curandis earum naturas recte discernere , quod egregium monitum a primo & optimo nostræ artis conditore HIPPOCRATE lib I. & II. de morbis mulierum sedulo inculcatum & frequentius reiteratum observamus.

§. XXXVII.

Præterea quum hoc malum quam facile , si non perire tractetur , revertatur , vel in aliud morbum chronicum , in primisque hypochondriacum degeneret , præcavendum id omni modo ac ratione est : quod fit , si post morbum finitum ad excretionem mensium respiciamus : Nam si ullus morbus hanc salutarem excretionem in modo & ordine turbare & pervertere valet , profecto est hystericus , qui violentis spasmis uteri fibras & vasa & inprimis orificio ejus internum ita vitiat , ut nimium contrahendo ingentem postea debilitatem & toni relaxationem relinquat , quam postea sanguinis & humorum stagnationes , congestiones , infarctus mille vitiorum caussæ presso pede insequuntur . Ego certe suffultus experientia venerandi Parentis nil efficacius , nil præstantius ad hæc mala antevertenda , commendare possum , quam thermarum Carolinarum usum internum cum conveniente regimine & prudentia administratum ; utpote quum thermales aquæ minerales semper fere & tutiores & efficaciores ipsis frigidis acidulis in morbis mulierum percurandis observentur . Præterea in promptu adhuc sunt alia remediorum genera , quæ tonum & robur uteri restituendo , graves ab eo afflictiones arcent , cuius generis sunt : temperata balsamica ex myrrha , succino , extractis amaricantibus & carminativis , præsertim Zedoaria , corticibus aurantiorum cum menstruo

struo minus spirituoso in elixirium redacta & frequentius usurpata: nam haec ipsa etiam mensium negotio & ventriculi digestioni egregie velificantur, quod adhuc certiori & praesentiori effectu perficiunt, quando temperatis balsamicis pilulis polychrestis, decenti tempore usurpati, sordium alvinarum excretio simul secundatur.

§. XXXVII.

Nunc accedimus ad aliud auxilii genus summum, quod etiam ex justo vitae regimine petendum, idque est conjugium; cuius incomparabilem vim ad affectum hystericum expugnandum prater auctoritatem summorum virorum, & experientia & ratio, luculenter comprobant atque sufficiunt. Audiamus jam ipsum HIPPOCRATEM, qui libro de morbis virginum c. 3. ita scribit: *Caratio virginum hysteriarum est sanguinis detracatio, si nihil fuerit quod impeditas; ego vero jubeo, virgines cum hujusmodi patiuntur, quam citissime viris cohabitare: si enim conceperint sanguis fluit; si vero hujusmodi non adfuerint, simul cum pubereate, aut paullo post corripiantur, si non viro nupserint.* DVRETUS inquit in enarratione ad cap. LIX. HOLLERII: Nuper vocatus sum nocte media ad curationem mulieris, qua hysteria a suffocatione laborabat, & conciderat quasi mortua; eam inveni frigidorem marmore, pulsus erat parvus, maritus aderat de uxoris salute valde sollicitus; bene esse, dixi, jussi ut rem cum uxore haberet, rem habuit; indeque statim convalescit. VALESCVS de TARANT. philos. pharmac. l. 6. c. 10. si fiat, inquit, affectus in virginem propter retentionem spermatis, nubat illa, & morbum effugiet. CAPIVACCIVS vero, ut efficacius sit hoc remedium, jubet, ut virginem inungat oleis aromaticis & zybetho. De mirabili hujus remedii effectu memoratu dignum legimus exemplum apud ZACVTVM LVSITA-

NVM 52. prax. med. admirand. obseru. 91. Quum enim virgini
cuidam multa remedia pro hisce symptomatibus levan-
dis præscreberentur frustra , solum legitimum conju-
gium erat remedio , a quo convenientem adepta medi-
cinam efflouuit, revixit, & roso nitidoque colore per-
fusa pristinæ sanitati fuit restituta.

§. XXXIX.

Quando ab uterinæ lymphæ orgasmo oritur hæc pas-
sio, omnia calidiora cane pejus & angue vitanda sunt, cui
etiam RODERIGVS a CASTRO *de morbis mulierum lib. II.* item
LVDOVICVS MERCATVS lib. II. de morbis uteri cap. III. adsti-
pulantur, qui magnum damnum exinde experti sunt; po-
tius ad temperandam lymphæ acrimoniam & orgasmum
sanguinis & humorum reprimendum, refrigerantibus uti
præstat, ex quorum censu potus aquarum, serum lactis pro
potu atque nitrofa eminent, quorum virtutem in extingui-
enda libidine TIMÆVS a GÜLDENKLEE *lib. III. cap. LII.* non satis
potest dilaudare.

§. XXXIX.

Postquam igitur argumentis satis firmis & solidis ne-
que minus clarissimis rationibus magnam & insignem il-
lam veri mali hysterici atque hypochondriaci differen-
tiā, quæ ratione originis, ratione sedis affecte, ratione
symptomatum, periculi quoque, & potissimum ratione
curationis plane alia atque alia est, dilucide deduximus,
& demonstravimus ; nihil jam restat amplius, quam ut
artis nostræ tirones, qui in ejus exercitio cum ratione,
peritia & prudentia versari volunt, serio moneamus, ne
tam facile hos inter se dissidentes morbos, ut sape præ-
postere accidit, inter se commisceant & confundant, sed
probe distinguant, eo, quod sine magno incommo-
do & detimento ægrotantium sape id non fieri potest:
Nam

Nam certe id nostris temporibus ubivis fere usu venit, ut nulla amplius mentio mali hypochondriaci inter mulierum morbos fiat, ut potius promiscue & indistincte omnis, quæ cum doloribus, spasmis, flatibus, anxietatibus jungitur passio, non modo a mulierculis, sed sape numero etiam a medicis pro morbo hysterico habeatur. Possemus quidem ut alios errores in medicina, ita etiam hunc quam faciliter animo ferre, nisi damnum non raro per ipsam curationem inde miseræ fœminæ acciperent: Nam certe non parum differt medendi ratio genuini morbi hysterici & morbi hypochondriaci: nam sicut in hoc vehemens corporis motus & exercitatio, medicamenta carminativa, spirituosa & volatilia, calidiora stomachica, & aromatica, salia neutra stimulantia, & aquæ minerales, amaræ alvum solventes, inque primis medicamenta martialia optima hujus pertinacis morbi sunt præsidia: ita fœminæ vere hysterica non leviter interdum ab hisce lœduntur, quum potius contraria, quæ nimios & effrenes solidarum partium motus sedant, & componunt, ut venæflectiones, quies corporis, anodyna, nitrofa, antiepileptica, refrigerantia, potus aquæ frigidæ, serum latis interdum, exclusis calidis, etiam ipso vino, quod ex toto hysteris circumcidendum est, locum inveniant commodissimum. Concludimus tandem & asserimus passionem hystericam esse uteri & partium cum ea connexarum vehementem spasmus qui a nimium congesto ibi sanguine & lymphâ, interveniente gravi animi affectu oritur, & per systema nervorum & nervosarum partium secundum spinæ longitudinem celeriter propagatur & gravissima sepius in imo, in medio ventre, & in capite producit symptomata. Denique summo Numini pro prestito auxilio immortales agimus gratias & labori huic impudentum potius censemus

F I N E M.

NOBILI ET DOCTO IVVENI,
FRIDERICO HOFFMANNO,

MEDICINAE CANDIDATO

S. P. D.

IOAN. PETR. de LVDEWIG,
FRIDERICIANAE CANCELLARIUS.

Alli, ambitus crimine, adfectant honores, parum meritos; nulla arte, doctrina uel nulla uel leui. Qui ideo causam dant, requirendi multoties: quo casu fortunis que factum sit; ut adpellentur, publica autoritate, DOCTORES? quos, consultum magis esset, adfigi insimis subselliis. Scilicet corona inaugurarunt multi, qui neque certarunt unquam, neque ex arena discesserunt uictores. Vitia haec iure vocaueris, seculum; in republica litteraria. In alia omnia, docte iuuenis, iuisti adbuc: recusatis toties, tibi oblatis & promeritis, in medica arte, honoribus. Nam, licet, in salutari doctrina, profeceris multum; sedulus auditor magni &, toto orbe, celeberrimi parentis, idque a puerili aetate adolescentulus; deinde non formulariae tantum medicinae; sed rationali incubueris; eoque fine animum instillaueris praeceptis omnis generis philosophiae, naturalis maxime & mechanicae; quam iure dixeris medicinae plasten ac parentem; imo adsuetactus sis quoque aegrotorum lectulis, consiliisque tuis conualuerint plures: maluisti tamen, esse, quam uideri; uincere, quam triumphare. Tantum abest, potuisse Te, com-

mo-

moueri precibus meis aliorumque, qui te norunt; ut, sub sellis relictis, cat bedram conscenderes, in tua arte, supremam. Nunc demum exples uota mea tuorumque. Quod institutum tuum eo maiorigaudio excipio; quo diuturno magis firmiorique uinculo illustribus parentibus tuis, inde a quadraginta fere annis, mesentio obstrictum. Accedit, quod THEMATICI tui argumentum, cuius auctor es & actor, in academico confliktu, me admonuerit iurisprudentiae & medicinae collationis singularis. Debetur iurisprudentia nostra Latio; medicina nostra Graeciae & orienti. Vtraque non domi nobiscum nata; sed adducta aliunde foris. Qui igitur uel in morborum causas indagant uel morbis requirunt remedia; illi Graecorum, apud uos, maximis faciunt placita decretaque; quae caeco plerumque impetu sequuntur. Ut ideo Germanorum & Graecorum non habitus idem; neque Germaniae idem coelum eademque terra aut aer: ita saepius fit, ut, quod uniprofit, oblitus alteri, neque morborum utrisque vel causae eadem uel eadem remedia. Quae omnia inuicem distinxisse atque internoscere illud demum opus non formulariae medicinae; sed rationalis vere. Idem peccant iuris nostri interpretes. In iurisprudentia Graeciae & Latii pubertas duodecim aut quatuordecim annorum, quod, in calido climate, fructus citius maturescat: sed, in hac aetate atula, quis pueris aut puellis suaserit aut inducerit, in Germania, nuptias? Steriles in oriente uteri; inde ius trium liberorum reddit parentem ab omni tributo immunem.

Si



Si haec eadem iura dixeris dederisque foecunditatibus Hel-
veticarum mulierum: quae tandem familia permanserit
tributaria? Italico iure, uerbo licet fallere neque nuda
paeta obligatoria sunt, quod Italis leues animi, uolu-
biles & lubrica linguae. Contra Germani, graues & sin-
ceri, uerbo stant & refellisse fidem, nota infamiae. Fru-
ctus pendentes in frugifera Italia, pars sunt fundi: con-
tra in patriae sterili solo, fructus ei cedunt, qui rastro
agrument subegerit. Mille casus & causas ita dirimere &
respondere soleo, ex differentiarum mearum Latii & Ger-
maniae, adparatu. Quo lumine qui perfudit animum
suum: illi facile est, ad respondendum forensia dubia, in
quibus aqua baerere solet, utriusque miscellionibus mu-
gacissimis. Idem tu, in HYSTERICO nunc MORBO,
doces medicos ignaros, idque ex eadem differentiarum
penu. Ridet Tullius formularum iuris cantores, ineptos
leguleios. Ex eadem causa expungendi e medicorum al-
bo blaterones. Qui remedia non ex arte requirunt;
sed ex libris, nulla cura adhibita, qui & quibus illa sint
scripta & commendata? Sequeris in eo uestigia prouin-
dissimi parentis tui, MEDICINAE RATIONALIS cul-
toris saluberrimi. Neque ate, & philosopho & medico,
sperare tantum: sed etiam confidere prorsus licet: fore,
ut & Academiae huic sis profuturus insigni doctrinatu.
& gloriam PATRIS & AVI tui, augustalium archia-
trorum, haereditario quodammodo iure, & expleturus
sis & adauerturus ex ase, tuis charissimus unigena-
tis & scripti HALAE Salicae die X.

Kal. Aug. MDCCXXXIII.

Di-

DILECTISSIMO ET CLARE DOCTO
FILIO
FRIDERICO HOFFMANNO
PRÆSES.

Docta & egregie elaborata dissertatione Tua
solenniter ventilanda meduplicem gratu-
landi occasionem nactum esse, equidem in
snu gaudeo. Gratulari enim mibi jure
meritoque possum, quod Ego jam Senex unicum mei
nominis filium, qui patris & avi, & majorum clarissi-
mi nominis medicorum vestigia strenue in excolendo
studio medico sequutus est, in doctoralem cathedram
ducere, quod Dei beneficium est, valeam. Tibi vero,
dilectissime Fili, etiam ex animo non possum quin gra-
tuler, quod ingenium ad studium medicum a teneris
annis propensissimum, semper in Te perspicerim, ut
medicis medicos creari recte omnino dici possit. Hanc
vero, quam Tibi benigna natura concessit, indolem,
tanta solertia, tanto studio exc luitisti, ut nihil, quod
ad artem salutarem perficiendam ullo modo pertineat;
vel quod ipsi ornamentum, & adjumentum prestare
possit, pretermiseris. HIPPOCRATES filio suo sacra
artis nostra adeunti geometriae & numerorum scien-
tiam plurimum commendavit, ut videtur, ad judicium

G

acu-

acuendum, quod, si ulla in arte vel scientia, certe in
medica, ubi mutuas relationes & proportiones virium
in natura semper dijudicare & invenire debet medi-
cus, cœn summe necessarium desideratur. Tu, cha-
rissime fili, peculiari naturæ impetu & ardore a pri-
mis statim atatis annis hac studia astimasti, & sub-
ductu celeberrimi Wolffii, exiguo temporis spatio præ-
cipuas Matheos partes, non exclusis Algebraicis prin-
cipiis, comprehendisti. Praterea interiori rerum na-
turalium contemplationi beneficio experimentalis Phi-
losophia, Chymica & Mechanica insigni cum delecta-
tione indulsiisti. Demum, ad artificiosissimam huma-
ni corporis structuram felicius per varia exercitia
anatomica inspiciendam animum applicasti: Postea
Te totum meæ instructioni & duclui tum in theoreti-
cis, tum in practicis & clinicis plures per annos com-
misisti, ut ante quinque jam annos per consuta exa-
mina ab honoratissimis meis Collegis doctorali digni-
tate dignus habitus fueris. Maxime omnium vero
Tibi ob id gratulandi occasio subnata est, quod non
præceps, ut nostri temporis mos est, in honores ruere,
sed potius studia tua ad maturitatem perducere, ad
fœcundiores & pulchriores fructus proferendos, volue-
ris. Id demonstratum dedisti in presenti dissertatione,
quam proprio motu practicam, ex multis aliis curiosis
physicis thematibus, eligere voluisti, ut, quod caput
artis medicae est, tuos in pathologicis & practicis pro-
gres-

gressus eo clarior commonestrare publico posses. Nihil
jam reliquum est, quam ut perpetuam divini Numinis
gratiam, benedictionem atque clementiam Tibi, &
Tuis laudatissimis impostorum conatibus theoreticis
& practicis ex intimis animi medullis apprecesser, spe
firma fretus, fore, ut si Deus vires ac vitam conces-
serit, res publica nostra Apollinaris, patria quoque,
& misere agrotantes exoptatissimos a Tua solertia &
eruditione medica fructus repetere & expeditare possint.
Faxit Deus feliciter.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
S. P. D.
IO. HENR. SCHVLZE.

Tria iam lustra pridem effluxerunt, ex quo coailuit amici-
tia, que inter nos tam firma & constans monfit, ut
numquam conciliature aliquo opus fuerit. Mibi tunc
contingebat in aedibus venerandi Parentis Tui integro biennio
benignissime soueri, & ad interiora avis nostre, magno meo
fructu, deduci, quum TE, admodum tunc adolescentulum, pe-
nitus cognoscere, probitatem Tuam diligere, & felicis ingenii
ad optimas litteras imperium admirari coepi: ut iam tunc non
spherarem, sed considerem, talem TE futurum, qualem nunc
cognitum omnnes iudicamus. Ita facile proficiebas, quam iu-
cunde ad studia omnium artium ferebaris: tantumque aberat,
ut incipiari deberes, ut prius sepe de moderando tam acri cursu
effes admonendus. Ipsum, quod animo recreando, corporique
curan-

curando, indulgebatur tempus, non videbatur TIBI iucundius posse transfigi, quam si de litteris cum aliquo domesticorum dissereres, aut parenti aliquid praeципienti agrotis adflares, aut laboribus chemicis occupato operam dares, attenderesque sermonibus, qui de rebus graui bus & utilibus habebantur. Iucundissimum deinde mihi fuit, TE, vita academica curriculum modo ingressum, ad bene dicendi ac scribendi artem deducere: in quo iam memini TE mihi assiduum fuisse, ut nec inclemensissimo caelo impediri TE umquam patereris. Disiungebat nos, atque metam isti iucundae exercitationi ponebat, meus in academiam Altissinam discessus: sed animi coniunctionem diuellere non poterat illa, que corporum conspectum prohibebat, locarum disiungio; quin & TV crebris a me litteris amorem testatus es, & ego iucundissimum duxi litteris TEcum colloqui. Neque vero quicquam accidere optabilius mihi poterat illo Tu ad eandem academiam ante hos decem annos adueniu, quo mihi Tua consuetudine per sex menses frui hiebat, TEque comite aliquoties a vicinas vrbes excurrere. Memineris certe, quam rucunde cum venerando sene, illustri quondam archistro IO. MAVR. HOFFMANNO, Onoldi fuerimus, quamque delectans venerabilis eius canitie fueris: ego certe memini quam is TE coluerit & dilexerit, cognita indeole egregia & profectibus in in arte salutari, ex sermonibus in longam noctem protractis, non sine admiratione intellectis. Quantum TV vero postea adiiceris tot annorum indefessa industria, tot vijs auditisque in illo ad Batauos itinere praeclaris viris, domi autem, tamquam in Aesculapii templo, parentis perfellissimo exemplo & fidelissima institutione adiutus fueris; quantum denique fructum attinet, quod eidem ad summos monarchas & principes vocato ioties comes iugli, commemorare supercedebo, quum crebro artis & felici per tot iam annos exercitio ostenderis, quantum TE pater & avus excitauerint, ut, quorum nomina acceperisti, eorum em doctrinam, in medendo dexteritatem, gloriam ac felicitatem adsequereris. Quae cum ita sint, vix video cui maiori iure gratulari quisquam posset honores Doctorates, haud cer-

te præcocos, & iusto celerius arreptos, sed, quæ Tua fuit modestia, tam diu dilatos, ut glorioſiores eſſent tunc dentum accepit, poſtquam artis præclaris operibus ciuibus Tuis crebro ſpectatus & comprobatus fuſſi. Magle iſta virtute Tua, Amice & Compater honoratissime, cumque illuftri parente Tuō, quem & ipſe ea pietate colo, quæ parentibus debetur, ac indulgentiſſima matre, diu ita viue, ut ſenectutis iſſorum ſolatiaſſi incundidimo. Det TIBI DEVS, cum firma valeitudine optatos poro rerum omnium ſuccellus, eamque felicitatem, ut ex TENnatam patria Tua prolem vabeat, quæ, ad LAVRENTIO-RVM FRIDERICVMque laudatissimas imagines for- mata, HOFFMANNIANVM nomen & ſanguinem ad rerum uſque finem propaget. Vale a. d. XVI. Julii
a. 1000 xxxii.

VIRO OMNI ERVDITIONIS LAVDE CON-
SPICVO NEG NON PATRVELI SVO
SVAVIſſIMO

S. D. P.

ERNESTVS VLRICVS HOFFMANNVS,
SCABINATVS HALENSIS ASSESSOR

JUſtam ſane reprebencionem incurrerem, nec ſincero atque infucato, quo me omni tempore amplexus es, amore dignus eſſem; ſi inter tot votorum atque aplauſum, qui Te Doctoris inſignibus hodie condecoran tum circumſu- nant, amicam quaſi conſpirationem folius convicerem, nec eo nomine tam priuato quam publico quodam documento incredi- bilis gaudii mei adfertum Tibi ſignificarem. Cumprimis vero ſancta illa atque arēla, quæ tecum mihi intercedit, neceſſitudo hand permittit, ut, quæ mei erga Te officiſſint, prætermittam, ſed potius opimo à me jure exigit, ut non poſſeremus inter illos ſim, qui de adepta dignitate Doctorali, quam quidem dum

dum egregia Tua in arte salutari eruditio meruit, Tibi adplaudam. Tibi, Patrialis & summatissime, non volupe fuit, imitari quam plurimos Medicinæ sacris operantes, qui, si primitus duntur, taxat labris salutaris artis latices gustarint, statim Doctoris gradum anxiæ anhelant, atque ita hanc raro insalutato prorsus limine in praxim medicam irrumunt, sepius plus damni quam commodi agrotantibus adferentes. At vero tunc abest, ut talia de Te sint prædicanda, ut potius in omni artis medicæ parie haud mediocriter instrutus ad honorem istum Tibi ab illustri Medicorum ordine impertiendum jure meritoque accedas. Neque ullus dubitationi relinquendus est locus, quin temporis successu, medicarum rerum usi atque experientia longa accidente, eandem, qua summe venerandus PARENTE tuus in praximedicæ excellit, famam & celebritatem sis consecuturus. Luculentissima enim iam jam adsunt documenta, que laudatissimis optimi PARENTIS vestigiis Te infistere atque idem iter, quod ille calcavit, ingredi velle, satis abundantiter produnt. Gratulor itaque Tibi Patrialis suavissime, sincera mente banc Doctoris lauream. Gratulor PARENTI TUO, meo PATRUI maximopere suspicendo, cu us vitam atque incolumitatem in dies precibus meis ardenterissimis Deo commendando, filium unicum, in quo sincera pietas, morum suavitas, haud vulgaris artis medicæ peritia & senilis denique prudensia haud obscure adparet. Faxit benignissimum NV MEN, ut futura consilia Tua agrotantibus exhibenda prosperos atque exoptatos nunquam non sortianur eventus, & dignitatis non minus quam fortunarum tuorum insignis in dies Tibi obtingat accessio. Quod si DEVS, ut nullus plane dubito, votis bisce meis, que ex sincero pectore profecta, clementissime annuai, tam gratum id mibi erit, quam quod gratissimum. Summa denique veterorum hæc sit: vale, vige, flore atque ad inviadum usque perenna.

Nil



Nil cupit immeritum, nil dat sine seⁿore Phœbus,
Muneribus largus, parcus & ipse suis.
Præmia natorum studiis æqualia, parvis
Parva, sed & magnis reddere magna solet.
Scilicet hic numeros callet, nec censor iniquus
Multiplicat, minuit, dividit, addit opes;
Indeque, cum dono quæ sit proportio curæ,
Perpendens, cunctis datque facitque satis.
Hunc pro lege tenet morem generosus Apollo;
Hac, memor HOFFMANNI, jam repetitque die:
Plurima quem fidum coluit per lustra sodalem,
Ordinis ornatum, deliciasque sui,
HOFFMANNI SOBOLEM MAGNI, tam nomine PATRI
Quam candore animi judicioque parem,
Solemniter plausus proclamat Amicum,
Et dignum lauro cingit Apollinea.
Sic curis curas, fidei sic spondet auorem,
Phœbus, & exsolvit justa cuique suā.
Nomina jam crescunt, titulis junguntur honores
HOFFMANNO; famam fert toga docta novam.
Fertilis hæc, stirpi nova fert fundamina, PATRIS
Cumque novo Prolis crescit honore vigor.
Vberiora sed his, FAVTOR VENERANDE, sequentur
Præmia: communis gratia, multus amor.
Charus eris Magnis, Magnus simul omnibus: unde
HOFFMANNI Magnum nomen in orbe manet.

Piam hanc integrimæ mentis tesseram meritissi-
mis, CLARISSIMI DNI. CANDIDAT
Fautoris sui æstuarissimi, honoribus Docto-
ralibus observantissime consecrat.

HOFFMANNIANÆ DOMVS
Cultor sempiternus ac devotissimus
ERNESTVS GOTTHOLD. STRVVE
Med. C. Primislavensis Vcaro-Marehicus.

Plaudite Castalides! Salanæ plaudite Musæ,
Et pia carminibus jungite vota sacris!
Plaudite, nec Phœbo tñ idæ præcunte filete
Jubila; DOCTORI nestite ferta novo,
Victor enim, lauri meritoque decorus honore
HOFFMANNVS, vestri spes Heliconis abit.
Jam socius Phœbi, vestri Decus ordinis, addet
Consilio vestris pondera multa bonis.
Hoc igitur toti charum caput esto cohorti;
Huic nunquam pigeat vota sacrasse Viro.
At, mihi vobiscum quia par est causa precandi,
Par quoque nostrarum summa maneto precum:
Fausta sit HOFFMANNO laurus, sit purpura felix:
Crescat honos, crescant nomina, duret amor.

*Paucis hisce Clarissimo atque doctissimo DO-
MINO CANDIDATO honores Doctorales
meritisim gratulari & observantiam su-
am immortalem pie significare voluit:*


NICOLAVS BORRIES,

Hafn. Dan. Medic. C.

En celos felix musarum scandis ad orbcs
HOFFMANNE, & patriæ latus vestigia laudis
Subsequeris: quæ vix proavus docuisset Apollo,
Prodere festinas morbi præcepta fugandi.
Sublimes igitur cathedras, felicia templæ
Ingrederis, magno condescens' omne Pindum.
Hinc Tibi laeta cohors fructus minata laborum
Plaudit & exultans lucentes suspicit ortus:
Te videt extantem reliquis, lumenque decusque
Attonitus fulgore oculis adspectat. In illis
Tu mihi concedes sedem, virtutis ut aurum
Ex TE nosse queam magnique tropaca laboris.

*His paucis gaudium suum exponere simulque prenobilita-
tisimo Domino Candidato gratulari constituit.*

IOH. DAVID. MICHAELIS.



VENERANDO SENI
DE ACADEMIA ET PATRIA MERITISSIMO
ELEGANTIS DOCTRINÆ IMMORTALI LAVDE
FLORENTISSIMO
ARTIS FELICI EXERCITIO

APVD

*AVGVSTISSIMOS SERENISSIMOS
ILLVSTRISSIMOS*

INFINITOSQUE OMNIS CONDITIONIS MORTA-
LES SPECTATISSIMO

*MERITIS FAMA DIGNITATIBVS
ORNATISSIMO*

D O M I N O
FRIDERICO HOFFMANNO

PARENTI ET PRÆCEPTORI DE SE
OPTIME MERITO

DISSERTATIONEM HANC IN AVGVRALEM PIO OBSEQVIO

D. D. D.

FRIDERICVS HOFFMANNVS
FILIUS.

VIR ILLVSTRIS, EXCELLENTIS-
SIME ET EXPERIENTISSIME

PAREN'S HONORATISSIME




Quantum præceptoris debeat quis-
quis artem medicam edoctus
est, si non ex communibus do-
ctrinæ cælestis fontibus & phi-
losophiaꝝ præceptis jam pridem
intelligerem, ex HIPPOCRATE Coo, artis
nostræ gravissimo auctore, discere utique debui-
sem. Is enim, quoscunque in disciplinam admit-
tebat, adjurabat prius se præceptorem, qui te
hanc artem edoceret, parentum loco habituros,
vitam communicaturos, eaque, quibus opus
habuerit, impertituros esse. Quum vero TV
fis, cui debeo quicquid de arte salutari accepi :
quum TV me ore tuo per complures annos, &
ab ipsa infantia fere ad artem formaveris, for-
matumque jam & institutum exemplo tuo per-
fecteris, & ad lectum ægrotantium toties addu-
xeris, aut pro TE miseris ; omninoque nihil,
quic-

quicquid nosles, celaveris: agnosco sane, infinitum esse, quod TIBI, præceptori fidelissimo, deboeo. Non miraberis filium Parenti prius declarare pietatem ob doctrinæ & artis traditionem. Eandem TIBI mentem esse existimo, quæ imperatori Romano quondam fuit, qui filium, in castris ejus militantem, libentius comilitonem appellabat, quam filium: ratus hanc naturæ conjunctionem minus sibi jucundam videri debere, quam illam, quæ Virtutis communionem testaretur. Neque tamen non video, quantum TIBI, parenti indulgentissimo, debeam, nimirum me totum qui sum & quantusunque sum. Quicquid enim cuique in hac vita jucundum accidit, illud, post summum utique Numen, a quo omnia sunt, suis quisque debet parentibus, vitæ suæ auctoribus. Mihi vero a TE, parens dilectissime, non vita solum data est: verum tuus in me amor prorsus singulis effecit, ut & commode viverem & ut recte vivere discerem. Nihil unquam reliquum fecisti, quo ad me amanter, liberaliterque educandum opus videri posset: illud autem in primis studiisti,

ut

ut me doctrinis, homine & Christiano dignis,
imbueres, & ad mores etiam virtutum doctrinæ
conformes, adsuefaceres: probe gnarus, quan-
tum ad omnis vitæ felicem decursum faciat, si
tenera ætas optime fuerit instituta. Tantis igit-
tur beneficiis TIBI immensum plane in modum,
obstrictus, quid habeo quod TIBI reddere pos-
sim? Totum me TIBI debedo, totumque ad omne
obsequium & pietatis quocunque officium tra-
do deferoque. Accipe, Parens amantissime, filii
unici sinceram pietatem, hoc vero munusculum
chartaceum ne adsperrnere. Quicquid id est,
Tuum est, & ex uberrimo Tuæ doctrinæ fonte
haustum. Inscriptisti olim mihi medicinæ syste-
maticæ volumen insigne, pro quo honorifico
mihi & utilissimo munere redbo mearum lucu-
brationum primitias: impari quidem compensa-
tione, si dignitas magis doni, quam offerentis vo-
luntas, æstimanda sit. DEVS TE, Parens dilectissi-
me, domus nostræ præsidium & dulce decus, diu-
tissime salvum, incolumem, omnique felicitatis
genere florentem conservet. Halæ Magde-
burgicæ a. d. 22. Julii cccccc xxxiii.




Halle, Diss., 1733

ULB Halle
002 372 827

3



5b



1096 17 29 122

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
MORBI HYSTERICI
VERA INDOLE SEDE
ORIGINE ET CVRA

Oder:

Von der wahren Beschaffenheit und Ursprung
der Mutter-Beschwerungen.

QVAM
CONSENSV

AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO
ACADEMIÆ SENIORE ET FACULT. MED.
h. t. DECANO.

PARENTE DEVOTE HONORANDO

PRO DOCTORIS GRADV

PUBLICÆ ERUDITORVN DISQVISITIONE

SVMITTIT

D. Mense Julij Anni MDCCXXXIII.

AVCTOR

FRIDERICVS HOFFMANNVS,
HALLENSIS SAXO.

HALÆ MAGDEBURGICÆ

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

